



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**


Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia

**Vindalium, 1646**

Sectio I. De ignorantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38789**



## CAPVT X.

*De causis internis peccati.*

---

 SECTIO I.

*De Ignorantia.*

## CONCLUSIO I.

**I**gnorantia interdum est causa peccati. Ita S. Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 1. ubi monet id debere intelligi, de causa per accidens, seu remouente prohibens: ignorantia enim est priuatio scientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, in quantum dirigit actus humanos.

Nota 1. ignorantiam antecedentem, seu inuincibilem excusare à peccato, vt infra dicitur; ac proinde cum dicitur causa peccati, hoc debere intelligi de peccato materialiter, non formaliter spectato.

Nota 2. ignorantiam consequentem seu vincibilem, cum aliquo modo sit vo-



luntaria, posse esse causam peccati, etiam formaliter sumpti. Vnde cum S. Doctor in his quaestionibus loquatur de peccato, ut peccatum est, hinc collige eum, in articulo quem versamus, agere de ignorantia vincibili, quando ait, eam esse causam peccati, Eò vel maximè; quia aliàs cum Deus concurrat ad entitatem peccati, à fortiori potuisset dicere, eum esse causam peccati, quod tamen merito negat.

Nota 3. ex eodem hoc art. non quamlibet ignorantiam peccatis esse causam peccati, sed eam tantum, quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati. Vnde si voluntas alicuius sic esset disposita, ut non prohiberetur ab actu parricidij, etiamsi patrem agnosceret, ignorantia patris non est huic causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum, & ideo talis non peccat propter ignorantiam sed peccat ignorans, ex Philo-  
pho. 3. Ethic.

CONCLUSIO II. Ignorantia aliqua est peccatum, alia minimè.) Hanc tradit S. Doctor art. 2. dicens, nullam ignorantiam inuincibilem esse peccatum, quia hæc studio superari non potest: ignorantiam autem vincibilem esse peccatum, si sit eorum quæ aliquis scire te-



nerur, non verò si sit eorum quæ quis scire non tenetur. Vnde peccant, qui nesciunt ea quæ sunt fidei, & vniuersalia iuris præcepta, ac quæ ad eorum statum, vel officium spectant; quia ista scire tenentur, cum sine eorum cognitione actus debitos rectè exercere nequeant: non tamen peccant, qui Theoremata Geometriæ ignorant, quia ea scire non tenentur.

Nota 1. in ignorantia culpabili posse considerari, & ignorantiam ipsam siue actualem, siue habitualem, & negligentiam voluntariam addiscendi, ex qua talis ignorantia nascitur.

Nota 2. hæc tria ita inter se comparari, vt negligentia sit formaliter mala, formalitate ipsi inhærente; ignorantia vero actualis seu inconsideratio, quia non spectat ad voluntatem, sed ad intellectum, sit mala obiectiue, & formaliter extrinsecè, per denominationem à malitia negligentia; ita vt ex vtraque, tanquam ex actu interno & externo, peccatum integrè coalescat: ac denique ignorantia habitualis, quia nec est actus, nec ommissio actus, sed veluti priuatic habitus, non tam sit peccatum, quàm effectus quidam peccati.

Nota 3. quod ait S. Thomas igno-



rantiam esse inuincibilem, quæ non potest studio superari, non ita intelligendum esse, ut ea tantum ignorantia sit inuincibilis, quæ manet postquam homo fecit, quicquid potuit, ad eam superandam; sed quæ non tollitur, etiam si homo pro loco & tempore, adhibeat eam diligentiam moraliter sufficientem, quam in ordine ad acquirendam scientiam, dictæ ignorantia oppositam adhibere tenetur. Ratio autem huius explicationis est, quia etsi non faciat quis totum quod potest, ad comparandam scientiam, modo faciat quod tenetur, non peccat contra præceptum, adeoque illius ignorantia manet inuincibilis, seu inculpabilis.

Nota 4. interdum ignorantiam vincibilem, quæ est causa peccati, esse speciale peccatum, aliàs non: Est speciale peccatum, quando scientia opposita secundum se præcepta est. Non est, quando scientia qua priuat, non est præcepta secundum se, sed tantum per ordinem ad operationem, quatenus ut aliquid fiat, aut omittatur, illud cognosci debet. Hinc Confessarius, ex ignorantia officij sui malè absoluens, peccat dupliciter, nempe & contra reuerentiam sacramento debitam, & contra præceptum sciendi,



DE PECCATIS. CAP. X. 119  
quæ sunt sui numeris. Qui verò ex  
ignorantia culpabili non audit sacrum  
die festo, peccat tantum peccato omif-  
sionis, contra præceptum positivum au-  
diendi Missam, quia non tenetur scire,  
Missam ea die audiendam esse, nisi ex vi  
præcepti eam audiendi.

CONCLUSIO II. Ignorantia aliquã-  
do excusat à peccato aliàs nō.) Imprimis  
certum est, ignorantiam antecedentem  
semper à peccato excusare; cuius ratio  
est, quia eiusmodi ignorantia nullo mo-  
do est volita sine directè, siue indirectè,  
cùm omnem voluntatem antecedit; qua-  
re cùm sit causa operis, utpote quod non  
fieret, si ea abesset, hinc fit ut opus illud  
simpliciter sit involuntarium, ac proin-  
de à culpa liberum.

Hinc non peccat Titius occidendo  
hominem, putans invincibiliter se feram  
occidere, si talis ignorantia est causa oc-  
cisionis, id est, si Titius ita animo com-  
paratus est, ut si sciisset esse hominem,  
eum non occidisset. Sed maior est dif-  
ficultas, an peccet Titius occidendo ho-  
minem, quem invincibiliter putat esse fe-  
ram, si ignorantia illa non est causa oc-  
cisionis, id est, si Titius ex hypothese  
quod sciisset esse hominem, eum ni-  
hilo minus occidisset; ita ut quamvis



ignoranter, non tamen ex ignorantia, cum interficiat.

Dico igitur 2. etiam eiusmodi ignorantiam, quæ concomitans vocari solet, excusare à peccato. Ratio est, quia cum Titius inuincibiliter ignoret se hominem occidere, talis ignorantia sufficit, ut occisio hominis censeatur, illi prorsus inuoluntaria, sicque à culpa excusetur.

Nec refert, quod si Titius sciret, id quod putat esse feram, esse ipsius inimicum, vellet eum occidere; hoc enim non sufficit, ut Titius de facto peccet, occidendo hominem, sed tantum quod peccaret si talis hypothesis contingeret. Alioquin dicendum esset, nobis de facto imputanda esse ea omnia peccata, quæ iuxta præscientiam diuinam patraremus, ex hypothesis quod in hac, vel illa circumstantia essemus constituti.

Obiicies ista videri aliena à mente S. Doctoris hinc art. 3. cum disertè doceat, ignorantiam, quæ non est causa actus peccati, siue sit consequens, siue concomitans ipsum, non excusare à peccato. Respondeo, sensum esse, talem ignorantiam non excusare totaliter à peccato; quia etsi ipsa occasio actualis in casu proposito, à culpa excusetur, ille ta-

men



men affectus habitualis occidendi inimicum, qui viget in animo Titij, culpabilis est & vitiosus. Vnde ignorantia concomitans in eo distinguitur ab antecedente, quod hæc cum sit causa operis, quatenus remouet scientiam, quæ si adesset, Titius hominem non occideret, ex ea operantem ab omni culpa, circa idem obiectum liberat.

Dico 3. ignorantiam consequentem, aliquando peccatum augere, aliàs minuire, at nūquam omnino seu ex toto excusare. Explico, vocatur ignorantia consequens ea, quæ sequitur voluntatem, quæque proinde semper est voluntaria, sed cum discrimine; nam alià est directè volita, & hæc dicitur affectata, alià indirectè, quæ crassa seu supina vocari solet.

Itaque certum est ignorantiam consequentem, siue sit affectata, siue crassa non omnino tollere rationem peccati, ab actu malo qui ex illa fit; cum non impediat, quin actus ille sit voluntarius. Dubitatur autem, qualis ignorantia consequens peccatum augeat, qualis minuat.

Respondeo 1. ignorantiam affectatam augere peccatum, quando ea affectatur eo fine, vt liberiùs peccetur, vt dum quis vult ignorare, an festum aliquod in  
de Pecc. F



hebdomada occurrat, ut maiori cum libertate possit sacrum, vel ieiunium omittere. Ita sumi potest ex S. Thoma quæst. illa 76. art. 4. quia scilicet peccatum ex ea ignorantia patratum, est magis voluntarium; at peccatum quò magis est voluntarium, eò est grauius.

Respondeo 2. ignorantiam affectatam tunc minuere peccati malitiam, quando quis vult ignorare præceptum, ut caueat irreuerentiam contra Deum, quam putat committi eo ipso quòd habeatur notitia legis, quæ violatur: sic enim peccatum fit cum minori affectu, quàm si adesset scientia opposita, adeoque minus est voluntarium: fit etiam cum minori contemptu Dei, legisque diuinæ, & eatenus minorem continet malitiam.

Respondeo 3. ignorantiam non affectatam seu crassam minuere peccatum; quia ut ait S. Thomas loco citato, cum talis ignorantia non nisi indirectè sit volita, per eam minuitur voluntarium, adeoque & peccatum. Eò vel maxime, quia peccans ignoranter contra præceptum, quod neglexit scire, minus illud contemnere censetur, quàm qui ex certa scientia illud violat.